

DE SOPHOCLEI INGENII PRINCIPIO.

Ad ingenium poëtae tragici penitus cognoscendum necesse est, principium, quo tragoediae ejus nitantur, non modo in univsum exponere, sed etiam ostendere, quomodo in singulis fabulis hoc ipsum principium sese explicaverit; in altera enim clarius apparet, quam in altera: existitque progressus quidam necessarius, sive ordo fabularum, ex ipso earum argumento petendus, quo quidem recte constituto, poëtae principium per diversos gradus primis ab initiis ad summum fastigium conspiciemus prolatum. Ordinem tamen illum Sophoclearum tragoediarum, temporis ratione neglecta, polliceri, novum sane et inauditum facinus videri poterit, cum disquisitio virorum doctorum, quoniam anno unaquaeque tam exstantium, quam deperditarum fuerit conscripta, jure in nullius offensionem incurrat. Cum enim, ut queruntur, ex tanta copia numerus tam exiguus ad nostram usque aetatem permanaverit, efficitur, ut perfecta et undique absoluta descriptio afferri non posse videatur, quod deperditarum fabularum sedes vacuae mansurae sint. Verum enimvero, quamquam multas, atque adeo plurimas fato nobis abreptas esse constat, tamen existimo, superstites illas septem, pro optimis jam apud veteres habitas, penitus nobis Sophocleum ingenium cum in univsum patefacere, tum praecipue diversos ejus gradus exhibere, ex ipsa dignitate et ordine fabularum perspicendos. In iis autem, quae proponam, nego de tempore, quo singulae datae sint fabulae, praesudicare me velle, cum fieri possit facillime, ut quaedam, etsi prius scriptae, altiorem tamen dignitatis gradum consecutae sint, quam quae posterius prodierint. Itaque argumentum ipsum unicam nobis afferet, sed eam solidam rationem, qua subnixum cuique locum assignemus.

Jam vero ipsum Sophoclearum tragoediarum principium optime apparebit, si cum reliquorum poëtarum tragoediis fuerit collatum. Tragicam autem artem Sophocles ab Aeschilo acceperat, Euripidique tradidit, et tribus illis poëtis tragoediae Graecorum fines continentur. Aeschylus enim rudibus ab initiis exorsus fundamenta jecit tragicæ

poësis a Sophocle solo summum ad fastigium provectae; de qua perfectissima tragoediae norma Euripides decedens, alii tragoediarum generi principatum detulit. Illius tamen mutationis rationem neque intelligere, nec quo quisque tragicus nitatur principio, perspicere poterimus, nisi prius de natura ipsa tragoediae nonnulla explanaverimus.

Aristotele ipso iudice, tragoedia est „imitatio actionis seriae et perfectae per misericordiam et metum hujusmodi affectuum purgationem efficiens” ¹⁾. Quae verba in sequentibus fusius ipse explicat: „Quoniam ea tragoedia optime constituta est, quae terribilia et miserabilia imitetur, primum quidem manifestum est, neque probos viros conspici debere, ex felicitate in infelicitatem transeuntes: (hoc enim nec terribile est, nec miserabile, sed detestabile); neque improbos ex infelicitate in felicitatem: (hoc enim maxime a tragoedia alienum, quia nihil continet eorum, quae esse oportet: neque enim humanitatis sensum tangit, nec miserabile est, nec terribile); neque rursus valde improbum ex felicitate in infelicitatem incidere debere: (nam habebit id quidem forsitan, quod humanitatis sensum tangat, sed neque misericordiam nec metum excitabit: misericordia enim movetur erga eum, qui immerito agit infeliciter, metus circa personam ipsis spectatoribus conditione similem). Restat igitur, qui inter hos interjectus est: is autem talis est, qui neque virtute eminent et justitia, neque propter malitiam et improbitatem in infelicitatem transit, sed propter errorem, qualis est in iis, qui in magna gloria et felicitate versantur” ²⁾.

Exponuntur igitur in tragoedia res ab heroibus gestae, sive ab regibus, quorum actiones quamquam ex virtute et justitia fluunt, non tamen omni vacant culpa atque errore. Nam cum virtus et justitia in universum hominibus praecipiat, ut officia et jura humanis divinisque legibus constituta observentur, periculum nascitur necessario, ne alteri officio satisfaciens ab altero heros discedat; finita enim et circumscripta actio-

¹⁾ De Poëtica, cap. 6, (Bip. 7): *μίμησις πράξεως σπουδαίας και τελείας . . . δι' ἑλέου και φόβου περαινουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.*

²⁾ Cap. 13, (14): *ἐπειδὴ οὖν δεῖ τὴν σύνθεσιν τῆς καλλίστης τραγωδίας . . . φοβερῶν και ἑλεεινῶν εἶναι μιμητικὴν, . . . πρῶτον μὲν δῆλον, ὅτι οὔτε τοὺς ἐπιεικεῖς ἄνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν· (οὐ γὰρ φοβερὸν, οὐδὲ ἑλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μισρὸν ἐστίν)· οὔτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ ἀτυχίας εἰς εὐτυχίαν· (ἀτραγωδύτατον γὰρ τοῦτό ἐστι πάντων· οὐδὲν γὰρ ἔχει, ὧν δεῖ· οὔτε γὰρ φιλόανθρωπον, οὔτε ἑλεεινόν, οὔτε φοβερὸν ἐστίν)· οὐδ' αὖ τὸν σφόδρα πονηρὸν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταπίπτειν· (τὸ μὲν γὰρ φιλόανθρωπον ἔχει ἂν ἡ τοιαύτη σύστασις, ἀλλ' οὔτε ἑλεον, οὔτε φόβον· ὁ μὲν γὰρ περὶ τὸν ἀνάξιον ἐστὶ δυστυχοῦντα, ὁ δὲ περὶ τὸν ὅμοιον) . . . Ὁ μεταξὺ ἄρα τούτων λοιπός· ἐστὶ δὲ τοιοῦτος ὁ μήτε ἀρετῆ διαφέρων και δικαιοσύνη, μήτε διὰ κακίαν και μοχθηρίαν μεταβάλλον εἰς τὴν δυστυχίαν, ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν τινὰ τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων και εὐτυχίας· οἷον Οἰδίπους και Θυέστης, και οἱ ἐκ τῶν τοιούτων γενῶν ἐπιφανεῖς ἄνδρες.*

nis suae ratione certum aliquod et distinctum officium, ceteris officiis neglectis ac violatis, saepenumero coactus est eligere. Itaque probaveris quidem actionem herois, quia coluit illud officium, sive eum Deum, qui praeest huic officio: (ipsa enim illa officia et jura a veteribus numina habebantur); sed vituperationem quoque heros non vitabit, in errorem culpamve ita incidens, ut venerando hunc Deum alius Dei laedat jus pariter colendum. In plures igitur leges secum pugnantes diversasque partes humana voluntas distrahatur, necesse est; et quoquo se verterit heros, in culpam incidit semper dignam plerumque, quae morte expietur, ita ut fatali quadam necessitate constrictus esse videatur. Chorus vero hanc vitae conditionem perspicuens, neque singulo tantum, ut heros, officio motus, abstinere ab agendo, et cum universam officiorum descriptionem controversia adhuc nulla turbata proponat, omnibus favet officiis, omnes Deos Deasque laudat et adorat.

Quae autem praecipua in veterum tragoediis officia inveniuntur exposita, ea sunt, quibus familiae et civitatis jura continentur: et hoc fere est, quod sibi vult Aristoteles, cum dicit, tragicas actiones misericordiam et metum commovere non posse, nisi inter amicos et consanguineos intercedant ¹). Nam et pugna officiorum inter tales personas orietur potissimum, nec misericordia et metu ipsi afficiemur, nisi pugna illa existente; qui enim pro exsequendo, quod sibi imposuit, officio forti animo mortem occumbit, illius sors digna censetur misericordia nostra, quia immerito adversa utitur fortuna, tam miserabili officiorum conflictione et repugnantia implicatus: ac metu commovemur aequae, tum quia jam intelligimus, jure periturum, qui affectu impulsus, Deorum voluntatem, quamvis ex parte tantum infregerit, tum quia providemus, in similem casum atque fortunam nos quoque ipsos posse incidere. Purificat igitur tragoedia affectus humanos, monendo, ut necessitati omnium rerum praepotenti, cohibitis affectibus, nosmet ipsos submittamus. Non tamen ideo heroibus, quamvis fato subjiciantur, libera voluntas in tragoedia omnino denegatur, quandoquidem libere jussa Divorum exsequuntur. Quin etiam quo ulterius procedebatur in arte tragica, eo crescebat magis hominis voluntas, majoremque necessitatis liberationem nanciscebatur. Unde est factum, ut tragoediam comoedia tandem exceperit, qua personae cum jam non pereant, tantum abest ut officiis ipsorum subjiciantur, ut iis paene illudant.

Itaque apud Aeschylum, quippe qui incunabulis tragoediae affuerit ipsis, summa adhuc potestate fatum gaudere videmus. Heroes agendi consilia non capiunt jam ex

¹) Cap. 14, (15): *ὅταν δ' ἐν ταῖς φιλίαις ἐγγένηται τὰ πάθη· οἷον εἰ ἀδελφὸς ἀδελφόν, ἢ υἱὸς πατέρα, ἢ μήτηρ υἱόν, ἢ υἱὸς μητέρα ἀποκτείνῃ, ἢ μέλλῃ, ἢ τοιοῦτόν τι ἄλλο δοῦναι, ταῦτα ζήτητέον.*

se ipsis, sed a necessitate ita impelluntur, ut officia non tam ipsorum affectu, quam fati solius immutabili atque aeterna voluntate et servata et violata esse videantur. Unde sequitur, quasdam Aeschyli fabulas eodem uti argumento, quo epicum poëma, quod et ipsum non modo heroum actiones, sed etiam rerum eventus et universi populi expeditiones enarrat; quae omnia non tam ex heroum voluntate, quam ex fati potius pendent necessitate. Sunt autem eae fabulae Persae et Septem contra Thebas, qua in scribenda Aeschylum non Baechi, sed Martis numine afflatum esse, Gorgias sophista contendit ¹⁾. Porro cum Deorum sola voluntas, hominum ratione nondum habita, Choro significetur, Chorus apud Aeschylum maximam habet vim, et in Supplicibus primam etiam personam sustinet. Neque in Prometheo victo, quamvis ad tragoediae naturam propius accedente, humanas Aeschylus actiones expressit, sed ipsius divinae potentiae secum ipsa pugnam et controversiam. Titanus enim Prometheus, qui, propter subreptum e Deorum sede ignem coelestem, mortalibusque communicatum, meritis Jovi poenas pendit, crudelissimo supplicio non flectitur, sed divina sua inflatus natura, Deorum Regis imperium interiturum esse, pro certo praedicit, quippe cum Dii ipsi fati cedant necessitati. Sed in iis quoque fabulis, quibus heroum ipsorum tragicae actiones exponuntur, sibi constat Aeschylus; quamvis enim familiae officia Clytemnestra in Agamemnone, in Choëphoris Orestes civitatis matrimoniique jura tuenda suscipiant, tamen liberae hae ipsae actiones a praestituta fati voluntate proficiscuntur. In Eumenidibus vero Dii adhuc ipsi, partes tragoediae agentes, contraria sua jura defendunt, cum Minerva, Dea et ipsa, controversiam ita componat, ut Apollo quidem humana et publica civitatis jura, Jovi quoque probata, accipiat tuenda, Eumenides autem familiae jus divinum ac secretum, Diisque inferis dicatum, retineant conservandum.

Hunc statum tragoediae penitus invertens, aliam artis tragicae rationem Aeschyli initiis plane oppositam secutus est Euripides. Nam tota ejus ratio cum in humanis versetur actionibus, resque omnis ad ipsos redeat heroes, fato, Diis ipsis eorumque oraculis fidem poëta demit omnino, quin etiam irridet; neque Choro vim adhuc ullam relinquit, cum eum ad inane saepissime redegerit ornamentum, effeminatis Timothei musici modis compositum. Dii autem ex machina tantum descendunt, ut finem tragoediae imponant haud secus, quam inexplicabilem Gordii nodum soluturi: ac si quando necessitas quaedam fati videatur admitti, ad caecum plerumque casum revocatur. Quod ergo heroes patiuntur, id non meruerunt, sed casu iis accidit. Quamobrem cum calamitates cumulet Euripides, cum innocentium clades proponat, cum mendicos fingat

¹⁾ Vide August Wilhelm v. Schlegel: *über dramatische Kunst und Litteratur*, Th. I, S. 137—138.

reges, (quae jam ab Aristophane in Acharnensibus lepide perstringuntur), in movendis spectatorum animis modum excedit. Et hanc habent sententiam verba Aristotelis, ex poëtis maxime tragicum eum esse affirmantis, cum addat, alia parum recte ab eo disponi ¹⁾; totum enim fabulae argumentum pulcris quibusdam locis postponens, summa veteres fabulas licentia ita conturbat, ut rem suo mutatam ingenio prologis suis enarrandam committere cogatur. Nec vero poëta loqui videtur, sed rhetor aut sophista, qui magna heroum ingenia ad sui temporis hominum mensuram deprimat; quare dixisse Sophocles dicitur, se quidem homines finxisse, quales debeant esse, Euripidem autem, quales sint. Abitque Euripides in comoediam tandem ipsam, cum et ridicula proferat multa, ut Penthei ineptias a Baccho mente privati, vel Herculis nimiam edendi cupidinem ab Admeto hospitalitatem efflagitantis ²⁾, et comicum tragoediis nonnunquam exitum det, ut Electrae, qua in fabula Pyladi heroina nubet; quod neque cum natura tragoediae, neque cum Electrae moribus consentit.

Jam vero Sophocles, qui medium tenet inter oppositas illas tragicæ artis rationes, homines neque obrutos necessitate fati, neque liberatos omnino proponit; quamquam enim heroum apud eum actiones ex propria ipsorum indole proficiscuntur, nihilominus tamen officium expriment divinum, sive legem ac voluntatem Deorum, cum intima heroum natura his ipsis divinis legibus constituatur ac formetur. Itaque cum noster quidem poëta humanam et divinam voluntatem ad eundem semper finem faciat contendere, tragicas actiones, neque arbitrio heroum, casuive, ut Euripides, neque ut Aeschylus, fatali tantum necessitati, etiam invitis heroibus, committit exsequendas. Si quis tamen propterea necessitatem in Sophocleis tragoediis exstare negaverit, veritatem minime attinget; Sophoclea enim necessitas ea ipsa est Deorum potentia, quae cum divinae sapientiae legibus impleatur, meliorique herois naturae semper jungatur, jura et officia humana tuenda suscipit necessario, libertate hominis non sublata, quippe qui eam ipsam foveat voluntatem Deorum. Quocirca Sophoclea quidem necessitas multo praestantior est altera illa necessitate, cui fati nomen rectius reservabis, et quam nudam quoque poteris vocare, quia definito quoquam argumento destituta, hominum Deorumque ipsorum studia et consilia funditus subvertere putatur. Quin a casu ipso caecum illud fatum distingui omnino non potest; nam cum casus causa omni carere non possit, sed ea procreetur causa, quae legibus in ratione versantibus fulciatur nullis,

¹⁾ Cap. 13, (14): καὶ ὁ Εὐριπίδης εἰ καὶ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατος γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.

²⁾ Cf. August Wilhelm v. Schlegel: über dramatische Kunst und Litteratur, Th. I, S. 219.

necessitas quaedam inest quidem casui, sed ea caeca, vel nuda, quam fato quoque tribui videmus. Itaque fatalis Aeschylearum fabularum necessitas non habet saepissime, quo casum antecellat, quem in Euripideis fabulis occurrere diximus: Sophocles vero, etsi libertatem humanam penitus cum divina necessitate reconciliaverit, non tamen eo usque sinit procedere, ut natura tragoediae violetur. Quamobrem intereunt quidem Sophoclei heroes, sed divinae auctoritatis pleni, quae quamquam tollit agentes, ipsis tamen assentitur actionibus, pereuntesque heroes in gratiam restituit.

Hoc autem Sophocleae tragoediae principium diversos habet gradus, quorum equidem tres distinguendos esse iudico; quamquam enim omnes Sophoclis tragoediae ingenium expriment ipsius, pars tamen ad Aeschylum accedunt, aliae maturitatem ipsam ostendunt Sophoclei ingenii, ad Euripidearum autem tragoediarum rationem una tantum incipit transire. In Trachiniis, Ajace et Philocteta fato maxima adhuc vis, sed ita tribuitur, ut nusquam heroes, sicuti Prometheus, cum fato luctentur, sed ei parendum esse agnoscant, seque submittant cum libertate animi contenti. Quin etsi fatum primas adhuc partes agat, tamen heroes, Deorum legibus nondum obligati, suam libertatem in fati necessitatem non ita submergunt, ut commodis gloriaeque suae non consulant, quatenus quidem fati voluntas non obstat. Ea enim sola est ratio, qua, fato regnante, quandam heroibus libertatem Sophocles potuit concedere, cum Aeschylus eam plane non admittat, et Euripides ulterius proferat. Oedipodi Regi, Electrae et Antigoniae suum Sophocles ingenium apertissime impressit. Atque in Coloneo Oedipo, „mollissimo carmine“, Cicerone ¹⁾ auctore, maximeque miranda tragoedia, eo usque heros procedit, ut fatalem necessitatem virtute sua quodammodo infringat; vitae enim beato fine *πρώταρχον ἄτην*, quae in Labdacidarum domum irruerat crudelissime, jam eludit. Sed attingit modo haec fabula Euripideum principium, neque iis contaminata est vitiis, quae ex non circumscripto principii illius usu emanant. Sed ea, quae in universum a nobis disputata sunt, confirmari oportet singularum fabularum argumento accuratius explicando.

I. 1) Fatum vicissitudines fortunae vitaeque finem ita praestituens, ut heros morte ablati Olympum ingrediatur, Trachiniarum argumentum est. Non Delphicus sibi conscius Deus, sed vetus et mysticum Dodoneum oraculum Herculi praedixerat, certo eum tempore laborum omnium finem inventurum esse. Sophocleus tamen heros fatum non initio jam sentit, nec illius voluntati sua consilia accommodat, sed suis studiis dat operam, cum Oechaliam Euboeae oppidum expugnet, Eurytum regem interficiat, ejus-

¹⁾ De Finibus V, I.

ejusque filiam Jolen pellicem mittat Trachinem, Jovique gratias acturus in Cenaeo promontorio sacra pareat. Quibus rebus sua virtute gestis, heroem divinis humanisque legibus nequaquam obtemperare constat, quia uxore haud carens, pellicem armis sibi comparat. Itaque heros majore necessitatis potentia superatur, quae uxorem ipsam, ejus ille amorem offenderat, ad heroem adhibet perdendum; non enim ex voluntate Dejanira, sed per imprudentiam agit, quia tunicam Nessi Centauri sanguine tinctam Herculis amorem sibi reconciliaturam esse putans, flebili modo eum interficit: imprudenter autem facta semper fato veteres jure attribuunt, cum casu fiant.

At heros fato correptus sortemque omnibus communem non effugiens, quamquam ipse id non egit, ut cum fato se reconciliaret, sed externa causa eo adductus est, tamen fatum non recusat. Quinimmo licet antea nesciverit, quid sibi voluerit Deus, liberam ab omni labore vitam pollicendo, nunc ipse ita explicat oraculum, ut mortem suam haud dubie indicatam fuisse opinetur: mortuis enim nullum affuturum laborem; neque alterum ei latet Dodoneum oraculum, quo non a vivo, sed ab Orei incola, (Nesse nempe Centauro), interitum ei venturum esse praedicebatur. Postquam igitur, quod voluerit fatum, Hercules intellexit, moriendumque sibi esse cognovit, non gravatur, ut Hylus, sed filio Deos iniquitatis accusanti imperat, „ut sine planctu et lacrimis patrem comburat, quod et invita negotia laeto peragenda sint animo" ¹⁾. Ἀποθέωσις vero, qua abjecto, quod erat mortale, heros in Olympum exeipitur, hic nondum plane comparet, sed alii reservatur fabulae. Naturam tamen tragoediae nostrae, ejus exitus totus morsque ipsa herois e fato pendet omnino, Chorus e scena discedens probe perspexit, verbisque his expressit:

Οὐδὲν τούτων ὅ,τι μὴ Ζεὺς.

2) Jam autem si fingas heroem, qui non patiatur tantum, quae fatum voluerit, sed sua ipsius actione cum fato reconcilietur, habes Ajacem fabulam. Cum enim fato aliquamdiu se opponere conetur, et quae fati sola est vis, eam sibi ipsi cupiat assumere, non accipit, ut Hercules, mortem, sed sibi ipse consciscit, ut poena luat illa, quod homine majora cogitaverit. Quae ipsa libera Ajacis actio lege divina nondum provocatur, sed laeso potius herois ipsius honore movetur; Achilleis enim armis Ulyssi adjudicatis injuriam Ajax sibi illatam ratus, a Graecorum primoribus, praesertim ab Agamemnone, Menelao et Ulysse poenas expetiturus est. Contentio tamen illa a fato jam

¹⁾ Vers. 1262 et 1263:

ἀνάπαιε βοήν, ὡς ἐπιχαρτον
τελέως ἀκούσιον ἔργον.

ipso non rejicitur, sed quia moderatio et sapientia deest Ajaci, Minerva heroi infensa est, quod se non satis coluerit. Etenim quondam Deae in Graecorum cum Trojanis proelio eum excitanti, cruentam ut manum hostibus immitteret, procax traditur respondisse, ceteros opus esse ut adjuvet Dea Argivos, suam vero aciem ruptum iri nunquam. Quocirca non tam fatum heros offendit, quam Deam; videmusque eum etiam reliquos in Deos arrogantem se praestitisse: nam cum pater, Deo semper socio, hasta vincere hortaretur, gloriatus est Ajax, Diis juvantibus et eum, qui nullus sit, victoria facile potiturum, se vero et sine Diis adipisci gloriam confidere. Cui superbiae in prima fabulae scena Minerva et Ulysses, qui moderationis personam gerit, debilitatem humani generis Deorumque potentiam opponunt, cum Minerva de se praedicat, et videntes oculos posse ab ipsa obcaecari, humanasque res uno eodemque die et crescere et inclinari; assentitque Ulysses, qui Deo parante quidquam fieri non posse negat, hominesque omnes nihil esse aliud contendit, quam imagines levesque umbras. Haec Deorum potentia in Ajacem irrumpit tota; cum enim noctu assurgat, misera ut morte ductores Danaum obruncet, disturbata mente in armenta Graecorum irrumpit, latamque stragem pecorum edit. Itaque cum Ajax per ultionem famae suae studeat inservire, majus sibi parat dedecus, neque quem vult honorem recuperat. Mentis tamen suae rursus compos factus, magnitudinemque calamitatis oppressus, vita se in posterum frui posse negat, cum, primus ante Trojam vir, dedecore sit obrutus.

Heros autem mortem sibi ipse inferens, potentiam fati incipit imminuere, cum jam ne praestituatur quidem a fato ejus interitus; quamvis enim facinora sua morte digna Ajax jam pataverit, nihilominus Teucro Calchas oraculum expromit, uno solo die Minervam heroi esse infensam, futuro salvo, si per hunc diem intra tentoria possit retineri. Tali tamen rerum eventui, qui ipse non fati voluntati, sed propinquorum Ajacis committeretur prudentiae, ferox herois ingenium accommodare se potuisset nunquam; addit enim vates: „Superbiora et inutilia corpora opprimi calamitatibus a Diis immissis, si qui natus homo, hominis quae non sint, cogitet”¹⁾. Itaque quamvis interire necesse sit Ajaci, humanam sortem superare conato, tamen libera morte Divorum iram cum placaverit, dignus est, qui funeris perfunctus honoribus, in aeternam illam umbrarum sedem excipiatur. Quare fabulae finis non supervacaneus est, nec eo tantum consilio

¹⁾ Vers. 758 — 761:

τὰ γὰρ περισσὰ κινόνητα σώματα
πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυσπραξίαις,
ἔφασχ' ὁ μάντις, ὅστις ἀνθρώπου φέρει
βλαστῶν, ἔπειτα μὴ κατ' ἀνθρώπου φρονεῖ.

eum addidisse putari potest Sophocles, ne solito brevior esset fabula. Cum autem funere mortuum ornare, officium sit, quod a familiae membris debeat praestari, officia tamen humana nondum praecipuum nostrae tragoediae argumentum constituent, non primae personae hac lege compelluntur, sed secundae, Tecmessa, Ajacis pellex, Teucer, frater ejus spurius, et Ulysses. Itaque per eos, qui legitimae familiae non annumerantur, eumque, qui alienus est omnimodo, funus Ajaci paratur. Et ut jura familiae hoc modo non vere exprimuntur, ita nec de civitatis certis et distinctis hic agitur officiis; quamvis enim negent Agamemnon et Menelaus, Ajacem dignum esse, qui sepulcro honoretur, quod regi Graecorum mortem tentaverit inferre, tamen principum Graecorum Agamemnon non rex est legitimus, nec quae singulis Graecis erga suam civitatem, ea Ajaci erga totam Graeciam aequabiliter injunguntur officia.

3) Morte heros singulam suam finitamque personam cum exuerit, suaque ipse actione expleverit voluntatem fati, jam habemus fabulam, in qua heros, quamvis familiae civitatisque leges nec ipse exsequatur, fati tamen voluntati, simulatque declaratur, liberam suam ipse accommodat actionem, etsi prius propriam voluntatem maxima cum obstinatione sit tuitus. Et quidem cum Philoctetae indoles sit pertinax, sibi constans, gravissimorumque patiens laborum, Neoptolemum, candidum juvenem omnique vacantem fallacia, Ulysses callidissimus et fraude potius, quam manibus rem gerens, eo adduxit, ut per mendacium Philoctetaeis potiri conaretur telis. Exstabat enim oraculum, Trojam nisi per Achillis filium, Neoptolemum, Philoctetamque, Heracleorum telorum dominum expugnari non posse. Cum tamen, excepto Neoptolemo, cujus in malo consilio inconstantiam laudat Aristoteles in Ethicis ¹⁾, heroes in sua perstarent sententia, Ulysses in Philocteta Trojam perducendo, in Atridarum odio Philocteta, — (jure tamen Atridas et Ulysses Philocteta oderat; deserta enim in insula pede graviter laborantem reges exposuerant), — res expediri non posse videbatur, silente aut certe ad obligandos heroum animos fato jam non valente, quippe quo nullum omnino contineatur jussum, sed condiciones tantum Trojae capiendae significantur.

Itaque domum cum Neoptolemo Philocteta, Ulysses infecta re Trojam navigaturi erant, cum Hercules, Philoctetae amicus, voluntatem Deorum Deus ipse factus, coelesti sede relicta, apertius ita declaravit: „Primum tibi dicam, quos ipse perpressus labores,

¹⁾ Ethic. Nicomach. VII, 9, §. 4. (meae editionis): *Εἰσὶ δὲ τινες, οἱ τοῖς δόξουσιν οὐκ ἐμμένουσιν, οὐ δὲ ἀκρασίαν, οἷον ἐν τῷ Φιλοκτήτῃ τοῦ Σοφοκλέους ὁ Νεοπτόλεμος· καὶ τοὶ δὲ ἡδονὴν οὐκ ἐνέμεινεν, ἀλλὰ καλὴν· τὸ γὰρ ἀληθεύειν αὐτῷ καλὸν ἦν· ἐπέσθη δ' ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσεύος ψεύδεσθαι· οὐ γὰρ πᾶς ὁ δὲ ἡδονὴν τι πράττων ἐστὶν ἀκόλαστος, οὔτε φαῦλος, οὔτε ἀκρατής· ἀλλ' ὁ δὲ αἰσχροῦ.*

immortali potior virtute, ut licet videre. Et tibi quoque, (pro certo scito), continget, ex illis laboribus gloriosam ut consequaris vitam; Trojam enim reversus, primum quidem gravi tuo liberabere morbo, dein virtute omnium ex toto exercitu praestantissimus habitus, Paridem malorum horum auctorem meis sagittis vita privabis, Trojamque capies" ¹⁾). Confirmato igitur oraculo jussis Deorum, Philocteta Lemni locis, fontibus silvisque valedicens, mora interposita nulla, navem ascendit. Morbo autem fatali non prius liberabitur, quam ad Trojana littora appulerit; in ipsa enim fabula fatum nondum vincitur, sed victum iri aliquando fatalem necessitatem, spes est certissima. Servaturque heros, quia, cum malum suum etiam „amare" (*στέργειν*) didicerit, fatum nec impatientia offendit, obedientiaque pacat. Frustra igitur et se ipse, ut Ajax, interficere conatur, et ex Neoptolemo petit, ut, sicut Herculem, se comburat; jam enim morte sua non opus est, ut Deorum in se excipiat consilia, cum caput nostrae tragoediae in eo potius versetur, ut voluntate ipsa fati exsequenda, suae heros gloriae consulturus sit. Quare heros, Deorum auctoritate mentem occupante, neque suis tantum commodis, nec nuda fati necessitate ad agendum compellitur; sed ambobus his momentis in unum confusis, jam ad eam Sophoclei ingenii stationem accessimus, in qua civitatis et familiae jura tragoediarum argumenta constituunt: nam in illis demum officii divinum numen pro caeco fato haberi desinit, cum affectibus studiisque heroum penitus conjunctum.

II. 1) Jam vero hujusmodi heroes, ad quos Herculem ex machina non opus est descendere, ut suos affectus legibus impleant divinis, sed qui illa agendi consilia sibi ipsi proponunt, invenimus in Oedipode Rege, Electra et Antigone. In Oedipode autem Rege cum heros rerum, quas antea gessit, inscius sit, fati potentia nondum prorsus evanescit, vetus Oedipo oraculum iis potissimum explente actionibus, quibus impedire conabatur. Cum tamen in ipsa fabula libere omnia, nec per imprudentiam fiant, sed ex proposito, fatum e tragica actione exterminatum ipsa, jam nihil esse

¹⁾ Vers. 1418 — 1428:

καὶ πρότῃ μὲν σοὶ τὰς ἐμὰς λέξω τύχας,
ὅσους πονήσας καὶ διεξελθὼν πόνους,
ἀθάνατον ἀρετὴν ἔσχον, ὡς πάροισ' ὄρεῖν.
καὶ σοὶ, σάφ' ἴσθι, τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν,
ἐκ τῶν πόνων τῶνδ' ἐν κλειᾷ θίσθαι βίον.
ἔλθων δὲ σὺν τῶνδ' ἀνδρῶν πρὸς τὸ Τρωϊκὸν
πόλισμα, πρότῃ μὲν νόσου πάσαις λυγρῆς,
ἀρετῇ τε πρώτῃς ἐκκρηθὲς στρατεύματος,
Πάρι μὲν, ὃς τῶνδ' αἰτίος κακῶν ἔφθ,
τόξοισι τοῖς ἐμοῖσι νοσφεῖς βίον,
πέροεις τε Τροίαν. —

potest amplius, quam liberae actionis conditio, sive potius occasio; quae enim olim egerat Oedipus, Polybii alumnus, ea nunc Regem impellunt ad actionem, quam in tragoedia videmus expositam. Etenim civitati gravi morbo laboranti remedium quaesiturus, Delphos Creontem cum misisset, qui Apollinis consuleret oraculum, sors datur a Deo, interfectorem Laji civitate esse expellendum. Oedipus autem, explorato tam sagaciter, quid sit homo, qui sit ipse, nesciens, et a regis interfectore acerbissimas se poenas expetiturum esse, publice professus, pedetentim, sed certo et immutabili consilio, eoque acrius, quo apparent clarius, horrida sua fata explicat atque evolvit; reque patrefacta, se obcaecat ipsum, quod obcaecato animo, quae debuerit, non vidit.

Itaque cum Oedipi facinora, quae in fati adhuc posita sunt arbitrio, nequaquam tragoedia comprehendantur, in eo potius fabula versatur, ut quae antea improvidus commiserit, ea heros nunc in suam culpam suamque transferat conscientiam. Sic melius Ajace potentiam fati frangit Oedipus, qui ne istis quidem terminis actionem suam circumscribit; nam cum civitati se consulere existimet, se ipsum impia patris caede nefariisque cum matre nuptiis familiam graviter laesisse intelligit. Quam ut vindicet de se ipso, civitatis jura violat; rex enim factus propter insignia sua in rempublicam merita, soluto Sphingis aenigmate, regno non sine magno potest civitatis detrimento se spoliare, quia filii de imperio dimicaturi, pericula Thebis creabunt maxima.

2) Jam huic fabulae, in qua heros civitatem laedit, familiam ulciscendo antea ab ipso violatam, Electra fabula opponitur heroem inducens, qui contra, cum civitatem antea laesam ulciscatur, familiam violat. Clytemnestrae enim facinus Agamemnonis caede civitatem et matrimonii jura, quae pro civitatum fundamentis habentur, violantis, initium agendi, sive conditio est, unde tragica Orestis et Electrae actio oritur. Quod tamen punire conantur, jure id destituitur non omni, cum Clytemnestra mortem inferens Agamemnoni, familiam sit ulta, immolata Iphigenia laesam. Quamobrem fieri potest, ut alterius fabulae conditio argumentum sit et finis fabulae alterius, quae si rursus ex alia tragica actione trahit originem, eum tragoediarum ordinem videmus constitutum, quem Graeci *τριλογία* nominant, et cujus exstat exemplum in tribus Aeschyli fabulis domus Pelopidarum fata exponentibus.

Cum autem idem argumentum et ab Aeschylō et a Sophocle inveniamus tractatum, haud ab re erit, paucis absolvere, quibusnam rebus, suum quisque principium secuti, inter se differant. Etenim cum Aeschylus fatalem necessitatem Tantalidis impendentem in cogitationem adducat semper, ex humano omnia corde profecta videntur apud Sophoclem. Consulit quidem et Sophocleus Orestes oraculum Apollinis, non tamen, utrum ulciscatur patrem, necne, (de ea enim re jam dudum apud se constituerat), sed „quo-

modo" 1). Apud Aeschylum autem actionem ipsam jubet Apollo, „cruciatu Orestis minatus gravissimos, nisi persequeretur paternae caedis auctores" 2). Et quamquam in nostra quoque fabula praesentem Chorus calamitatem ad pristina Pelopis refert gesta, in extrema tamen fabula libertate Orestem consilia sua ad finem perduxisse affirmat:

ὦ σπέριμ' Ἀτρέως, ὡς πολλὰ παθὼν
δι' ἐλευθερίας μύλις ἐξήλθεις,
τῇ νῦν ὀρμῇ τελευθῆν.

3) Haec tamen libertas tragicae actionis in Antigone optime apparet, cum et ipsi Chorus dicit: „Voluntaria te perdidit ira" 3), et de Creonte: „Non alienam fert culpam, sed ipsius peccatum" 4). Heroïna enim sibi conscia est, alteram se legem offendere, cum colat alteram. Quo autem affectu Antigone quidem ad agendum fertur, ille Ismenen non compellit sororem, sorori ut se praebeat sociam; Ismene enim respiciens item et civitatis et familiae jura, fortitudine tamen caret, qua uni se dedat affectui, unamque legem, ceteris postpositis, suscipiat tuendam. Itaque tragicam actionem non committens, quippe quae postulet illam fortitudinem, ab inferis Diis veniam petit, quod a magistratibus prohibita, mortuo fratri funeris non paret honores, cum ad oppugnandas magistratum leges se valere neget. Sed, ut Chrysothemis quoque in Electra, moderatione uti videtur et ratione, quibus heroïnae carent ipsae, cum et Electra rationem agnoscat in sorore, ignaviam vituperans, et Ismene rationem desiderans in Antigone, pietatem laudet. Antigone igitur, forti praedita animo, strenue agit, suum jus majus esse affirmans: „Il-

1) Vers. 32 — 35:

ἐγὼ γὰρ ἤνιχ' ἰκόμην τὸ Πυθικὸν
μαντεῖον, ὡς μάθοιμι' ὅτιοι τὸ πῶς πατρὸς
δικὰς ἀροίμην τῶν φονευσάντων πάρα,
χρῆ μοι τοιαῦθ' ὁ Φοῖβος, ὃν πείσει τάχα.

2) Choëphorae, vers. 267 — 271:

οὔτοι προδώσει Λοξίου μεγασθενῆς
χρησμός, κελύων τόνδε κίνδυνον περῆν.
κάξορθιάζων πολλά, καὶ δυσχειμέρους
ἄτας ὑφ' ἧπαρ θεοῦν ἐξαυδόμενος,
εἰ μὴ μέτειμι τοῦ πατρὸς τοὺς αἰτίους.

3) Vers. 875:

σὶ δ' αὐτόγνωτος ὤλισθ' ὀργά.

4) Vers. 1259 et 1260:

— οὐκ ἄλλοτρίαν
ἄτην, ἀλλ' αὐτὸς ἀμαρτῶν.

lum ego, (inquit), sepeliam; id mihi facienti pulchra mors, quia longiore tempore infernis numinibus placeam oportet: illic enim semper jacebo" ¹⁾). Cumque in altero officio humanum modo arbitrium, non legem agnoscat supernis Diis probatam, Creonti respondet: „Non tantum jussa tua valere putabam, ut tibi mortali Deorum non scriptas et certas leges violare liceret; neque enim hesternus dies eas genuit, vigebuntque in aeternum; nec quisquam exploravit, unde apparuerint" ²⁾).

Occurrit tamen in hac fabula non alterutrum modo perfectae tragicæ actionis momentum, ita ut aut civitas tantum laedatur, restituto familiae officio, ut in Oedipode Rege, aut, sicuti in Electra, civitatis jure vindicato, sola violetur familia, sed haec ambo in praecedentes fabulas distracta momenta conjuncte exponuntur in Antigone. Ut enim Antigone fratrem sepeliendo, (quod familiae officium est), civitatis jura legesque regis violat, sic Creon civitatis jure ductus, cum Polynicen sepulcro condi vetet, quod patriae hostis ceciderit, familiae officia infringit. Et naturae quidem ratio exigit ipsa, ut civitati vir, mulier familiae propugnet. Nec Creon affectum suum minore cum vi exponit, quam Antigone, monendo patriam hominibus esse debere carissimam:

οὐτ' ἂν φίλον πόντ' ἄνδρα δυσμενῆ χρόνος
θείμην ἐμαντῶ, τοῦτο γινώσκων, ὅτι
ἦδ' ἐστὶν ἡ σώζουσα καὶ ταύτης ἐπι
πλέοντες ὄρθῆς, τοὺς φίλους ποιοῦμεθα ³⁾).

Haemon vero, qui, ut Ismene, in affectu tragico non est, nec ea, quae pater proposuit, judicat refutanda, et contrariam quoque sententiam a vero non aberrare contendit; hortaturque Creontem, ne suum tantum, sed et aliorum foveat morem. Nec Chorus, audita patris et filii altercatione, dubitat, quin ex utraque parte bene disputatum sit.

¹⁾ Vers. 71 — 75:

— κῆνον δ' ἐγὼ

θάψω. καλὸν μοι τοῦτο ποιοῦσα θανεῖν.
φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι φίλου μετὰ,
ὅσα πανουργήσασ' ἐπὶ πλείων χρόνος,
ὄν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε.
ἐκεῖ γὰρ αὐτὴ κείσομαι. —

²⁾ Vers. 453 — 457:

οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ὄβριμην τὰ σὰ
κρητύμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα δύνασθαι θνητῶν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
οὐ γὰρ τι νῦν γε κἀχθῆς, ἀλλ' αἰεὶ ποτε
ξῆ ταῦτα, κοῦδεις οἶδεν, ἐξ οἴου φάνη.

³⁾ Vers. 187 — 190.

Comparet quin etiam in heroibus ipsis utriusque legis potentia, cum et Creon et Antigone juris, quod laedunt, ipsi sint participes; Creonti enim uxor et liberi sunt, Antigone regia domo orta est. Itaque violatum jus cum sibi ipsis violaverint, Creontis quidem uxor et filius Antigonaе sponsus intereunt, Antigone vero ipsa morte est mulctanda, quia universae civitatis voluntati a rege proclamatae se opposuit. Jure autem se obituram esse, jam non ignorat, cum dicit: „Si haec Diis placent, iis malis, quae patimur, peccasse nos confitemur; nec si Creon peccat, majora patietur mala, quam quibus ipse me affecerit” ¹⁾. Perpetrata igitur re, intelligit heroina, (id, quod antea quidem noluerat), alteri legi idem jus esse tribuendum. Sed Creon quoque a singulo suo affectu, etsi tardius recedens, quam ut Antigonen et Haemonem possit servare, cum etiam prius humare Polynicen, officium suum esse duxerit, paruit tandem Tiresiae consilio nuntiantis, aras civitatum vicinarum foedatas esse avibus, quae distracti cada-veris membra aris imposuerint, Deosque superos, quibus mortuus obtrudatur invitis, civitates omnes, quarum arae fuerint pollutae, excitare, ut ad bellum cum Thebanis consurgant. Unde apparet, qui familiam funere intermisso violaverit, illum civitatem laesurum esse ipsam, quippe quae familiae integritate nitatur atque fulciatur. Itaque infernis numinibus offensis, superni quoque Dii offenduntur, et contra: jamque non alterutra tantum lex violatur, sed qui utramvis laeserit, laedet etiam utramque.

Ex hoc Antigones argumento potest colligi, hac in fabula Sophoclem ad summam maturitatem non suum modo principium, sed et totam pertulisse tragicam poësin. Matura quin etiam aetate illam fabulam conscripsit Sophocles, nec ulla plausu tam ingenti videtur fuisse excepta, cum Atheniensium populus digno tum demum praemio poëtam affici putaret, si una cum Pericle classi praefecisset, quae Samum expugnaret. Cum autem videamus in Antigone non alteram modo legem, sed utramque ea ipsa actione infringi, qua alteram tamen velis conservare, monet fabula, ne uni tantum legi nos addicamus, quippe quae totam hominis divinam naturam, sive omnium officiorum descriptionem absolvere possit nunquam. Singulo autem affectu rejecto, cum jam agi omnino non possit, (agimus enim non nisi affectu aliquo ducti), eam affectuum liberationem habemus, quae senectuti reservatur, ipsi nihil agenti, sed quae gesta sint, sive a se, sive ab aliis, consideranti. Illam autem quietam cogitationem, sive sapientiam, quae

¹⁾ Vers. 925 — 928:

*ἀλλ' εἰ μὲν οὖν τὰδ' ἔστιν ἐν θεοῖς κακά,
παθόντες ἂν συγγνοίμεν ἡμαρτηκότες·
εἰ δ' οἶδ' ἁμαρτάνουσι, μὴ πλείω κακὰ
πάθοιεν, ἢ καὶ δρώσιν ἐκδίκως ἐμὶ.*

quae beatos reddat singulos, in ultima sua tragoedia exposuit Sophocles, Oedipum in scenam producens senem senex ipse, Coloni beato vitae exitu potitum. Cujus sapientiam, experiendis vitae calamitatibus partam, jam in Antigonos sine Chorus significavit:

πολλῶ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας
 πρῶτον ὑπάρχει· γὰρ δὲ τὰ γ' ἐς θεοῦς
 μηδὲν ἀσεπτεῖν· μέγαλοι δὲ λόγοι
 μέγας πληγὰς τῶν ὑπεράνωτων
 ἀποτίσαντες
 γὰρ τὸ φρονεῖν ἐδάδαξαν.

III. 1) Itaque in Oedipi Colonei parte prima, (vers. 1 — 719), Oedipum jam non agere videmus, sed cum in considerandis suis factis versetur, more heroum relicto, quae invitus gesserat, non agnoscit, crimine se purgat, fatigue in se vim respuit omnino. Habet enim propitia utriusque officii numina, cum Juppiter et Apollo, politici Dii, beatum laborum finem in ipsarum Eumenidum luco, familiae jura tuentium, sibi obvenerunt esse promiserint.

2) Dignum tamen beatitudine illa Oedipus se ipse praestabit: et haec est sola tragica actio, quae sibi relinquatur exsequenda; continetur autem secunda tragoediae parte, (vers. 720 — 1499). Nam cum conjunctionem et concordiam officiorum in sapientia Oedipi expressam videamus, sacris faciendis utramque legem colentis, et cum natura divina penitus reconciliati, jam ostendet heros ipsis suis actionibus potentiam illam prope divinam, quam receperit in sese. Itaque quamvis singula finitaque persona, tamen potentia fati sublata, ipse fata rerumque eventus et civitatum salutem in sua habet potestate, cum eam civitatem, quae Oedipi sepulcro fuerit potita, victricem fore Deus praedixerit. Quamobrem jam vitae commoda, studiaque humana Oedipus non curat, ut qui tendat ad majora; atque cum et Creon et Polynices eum abducere conentur, ipsis ut parent victoriam, humana illa commoda non sibi, qui patrem domo expulerunt, et ne nunc quidem pietate, sed propriae utilitatis ratione ducuntur, pollicetur Oedipus, sed Atheniensium reipublicae, quod tanta exulem hospitalitate exceperit. Atque cum heroi, qui humanas res sua dirigit voluntate, opponantur homines, finitis suis inservientes commodis, — (Eteocles enim regnum contra jus fasque gestit retinere, Polynices autem suum jus in patriae perniciem persequitur), — jam non a fato abripiuntur ejusmodi personae, ut in prioribus fabulis, in quibus primas adhuc sustinebant partes, sed hoc loco ipsa Oedipi imprecatio mortem iis minitantis fatum est, quo per-eunt. Eumenides enim, quae fratres perditurae sunt, ipsae πατρὸς Ἐρινύες vocantur: neque exstat omnino aliud fatum, nisi quod fluere videatur ex ipsius herois persona.

C

3) Beatam autem mortem, quam tali modo meruit Oedipus, in tertia tragoediae parte, (vers. 1500—1779), videmus ei evenire, cum Juppiter fulmine misso internum lumen Oedipo ita reddat, ut heros a nullo ductus, immo vero ipse Theseum, filias comitesque ad eum ducens locum, quo sibi moriendum sit, Theseo solo aspiciente, divino miraculo auferatur. Luctum gemitumque filiarum Theseus et Chorus inhibent, quod Deorum naturam penitus adaequaverit Oedipus. Cum autem, ut diximus, heros ea pace, qua divina voluntas auctoritati et potestati ejus committitur, frui non possit, nisi non agat, actio tamen tragoediae sit necessaria, jam ad Euripidearum fabularum principium devoluti sumus, exhibentium ejusmodi actiones, quibus ipsa divina officia heros sibi subjicere molitur, quippe qui singulam suam personam ceteris omnibus anteponeus, Deorum jussa non curet. Sed et alia in Euripideis tragoediis vidimus locum habere, quae tamen hic recensere, a proposito nostro esset alienum. Quare finem imponamus commentariolo, cui si veniam petamus, petenda videri possit maxime, quod quae a libera imaginandi facultate orta sint, ea ipsa ad necessitatem quandam revocare tentaverimus.

MICHELET, Professor.